Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25874
Copyright: Admont, Benediktinerstift

uersitatis mole per impatientiam obruunt. Vnde beati mites. quoniam ipsi possidebunt terram. Iethela. manus maledictio interpretatur: per quam primi parentis maledictio designatur. que cum oculis cordis preponitur. grauis luctus doloris oritur. uel per sufferentiam presentium malorum. uel per absentiam eternorum bonorum. Beati qui lugent. quoniam ipsi consolabuntur. Elon. exercitus fortitudo dicitur: per quam fames et sitis iustitie exprimitur. qua omnis uirtutum acies disponitur. que eternorum satietate premiorum reficitur. Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam. quoniam ipsi saturabuntur. Themna. ficus dicitur: per quam maturitas MISERICORDIE exprimitur. cuius suauitate deus reficitur. sicut ipse per prophetam loquitur: Precoques ficus desiderauit anima mea. Vnde beati misericordes. quoniam ipsi misericordiam consequentur. Achron. eruditio iustitie dicitur: per quam mundicia CORDIS exprimitur. quia per salubrem iustitiam acies cordis expiatur. sicut sponse in canticis dicitur: Oculi tui sicut piscine in esebon. que sunt in porta filie multitudinis. Beati mundo corde. quoniam ipsi deum uidebunt. Heltecen. protulit interpretatur. per quam pax illa figuratur. qua caro sub domino spiritui. uelut agar sub manibus sare domine sue humiliatur. Vnde debita gratiarum actio. liberatori sancto spiritui profertur. quia iuxta apostolum ubi spiritus domini. ibi libertas. et quicumque spiritu dei aguntur, hii filii dei sunt. Beati pacifici. quoniam filii dei uocabuntur. Iepthon. apiens interpretatur: per quem SPIRITUS timoris exprimitur. quo uere sapientie ostium aperitur. quia initium sapientie timor domini. Baalath. in ascensu dicitur: per quam SPIRITUS pietatis exprimitur. in quo ad omnia uirtutum culmina ascenditur.

sicut apostolus loquitur: Corporalis exercitatio ad modicum utilis est. pietas autem ad omnia utilis est. Iud. principium. uel scientia. aut dominator interpretatur: per quam SPIRITUS scientie figuratur. qui principio salutis in protectione cordis dominatur. Vnde salemon loquitur: Omni custodia serua cor tuum. quoniam ex ipso uita procedit. Benebarach. filius fulguris dicitur: per quam SPIRITUS fortitudinis exprimitur. qua uelut ictu fulguris. omnis mollities dissolutionis abigitur. Iethremmon. torcular sublimium dicitur: per quam SPIRITUS consilii exprimitur. quo omnis uirtutum conatus. uelut in torculari cordis comprimitur. ut remota uitiorum amurca. salubris liquor gratie in ubris. uel factis progrediatur. Iercon. aurugo interpretatur. per quam SPIRITUS intellectus figuratur. quo omnis erugo uitiorum examinatur. Archon. uigilie dolorum interpretatur. per quam SPIRITUS sapientie designatur. quo uigilia dolorum suscitatur. sicut Salemon protestatur. Eo quod in multa sapientia. multa sit indignatio. et qui addit scientiam. addat dolorem. Cum termino qui respicit ioppen. que pulchritudo dicitur. quia iste terminus uirtutibus ponitur. ut in pulchritudine eterne pacis habitatio constituatur. sicut per prophetam ipse deus loquitur: Habitabit populus meus in pulchritudine pacis. Vnde recte hic subditur. quod terminus in ipso fine concluditur. Terminus enim uirtutum ad ipsum extenditur. qui initium et finis rerum omnium esse dicitur. quia eterna ipsius uisione. labor omnium electorum sine fine remunerabitur. Filii dan ascenderunt. cum hii qui ueri iudices sunt. aliorum quoque iudices per gratiam sancti spiritus fiunt. de uirtute in uirtutem se extendunt. Contra lesem. que ad nomen dicitur pugnant. cum supernam ierusalem inquam honorabile nomen ipsorum erit. fide. spe. et dilectione.